

nobis confessus est se ratam habere, et omne ius, quod in Bursendorff habebat, cessit fratribus memoratis, illis quoque ius, quod in ecclesia in Pulsnitz habebant, episcopo assignantibus. Nos hanc ordinationem auctoritate nostra confirmavimus et in perpetuum valituram sigillorum nostrorum munimine roboravimus. Nulli igitur hominum fas sit hanc nostrae ordinationis paginam imo verius sedis apostolicae, cuius auctoritate fungimur, infringere aut ei ausu temerario contraire. Quod si quis praesumpserit, indignationem dei omnipotentis et nostram excommunicationem se sciat incurrisse, et in futuro cum Datan et Abiron, quos terra vivos absorbit, accipiat portionem. Acta sunt haec in Halle in ecclesia beatae Mariae perpetuae virginis anno ab incarnatione domini M. CC. XXV. indictione VIII.

Nach dem Copialbuch der Pfort. Urkunden von 1536 fol. 200 in der dortigen Schulbibliothek.

No. 100. 1226. 2. März.

*P. Honorius III. beauftragt die Aebte zu St. Georgen in Naumburg (Johann) und zu Buch bei Leisnig (Bruning) sowie den Decan der Stiftskirche zu Meissen (Petrus) die Streitigkeiten zwischen dem B. von Breslau (Laurentius) und dem Herzog Heinrich von Schlesien, sofern beide sich nicht einigen, nach genauer Erwägung zu entscheiden oder der päbstl. Curie zur Entscheidung vorzulegen.*

Honorius episcopus servus servorum dei dilectis filiis sancti Georgii Numburgensis et de Buch Misnensis diocesis abbatibus et decano Misnensi salutem et apostolicam benedictionem. Dilectus filius, nobilis vir dux Zlesiae sua nobis insinuatione monstravit, quod venerabilis frater noster, Wratislaviensis episcopus, homines volentes in sui ducatus finibus nemora et alia loca inculta inhabitare ac deducere ad culturam, adeo gravat indebitis exactionibus nomine decimarum contra terrae consuetudinem, quam observant episcopi convicini, quod non solum ad incolenda et excolenda loca ipsa dubitant convenire, verum etiam hi, qui ex iis ad aliqua iam convenerant excolenda, ea propter difficultates, quas eis ingerit, deserentes ad alias se transferunt regiones in praedicti<sup>1)</sup> ducis non modicum detrimentum, cum per hoc non solum loca ipsa deserta remaneant, sed etiam ducatus sui termini occupantur et inter ipsum et vicinos nobiles, ad quorum terras eius coloni se transferunt, graves interdum discordiae oriantur. Denique cum praedecessores episcopi memorati quibusdam servis eiusdem ducis, qui smardi vulgariter appellantur, decimas omnino remiserint, quibusdam ex servis ipsius eiusdem conditionis cum certis possessionibus ab eisdem in decimarum recompensatione receptis, dictus episcopus nihilominus ab eis decimas contra iustitiam exigit et extorquet, alias multipliciter existens sibi et suis difficilis et molestus. Quare nos ipsi episcopo nostris damus litteris in mandatis, ut super praemissis et aliis sic studeat abstinere ab ipsius ducis indebito gravamine ac suorum, quod iidem de ipso iustam non habeant materiam conquerendi. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatinus, si dictus episcopus mandatum nostrum neglexerit adimplere, vos audiat, quae dux ipse contra eum et quae idem episcopus contra ducem duxerit proponenda,

1) prius (dicti) Stenzel.